INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A D. XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXII USQUE AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXXXIII.

HABENDARUM.

Additae sunt Friderici Wieseleri novae schedae criticae in Aristophanis Aves.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
ERNESTUS EHLERS
C U M S E N A T U.

Continuantur schedae criticae in Aristophanis Aves proximo indici scholarum additae.

Vs. 184 sq.[1]).

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο καὶ φράξηθ' ἅπαξ,
ἐκ τοῦ πόλου τούτου κεκλήσεται πόλις.
ὥστ' ἄρξετ' ἀνθρώπων μὲν ὥςπερ παρνόπων,
τοὺς δ' αὖ θεοὺς ἀπολεῖτε λιμῷ Μηλίῳ.

ΕΠΟΨ.

πῶς;

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

ἐν μέσῳ δήπουθεν ἀήρ ἐστι γῆς.
εἶθ' ὥςπερ ἡμεῖς, ἢν ἰέναι βουλώμεθα
Πυθῶδε, Βοιωτοὺς δίοδον αἰτούμεθα,
οὕτως, ὅταν θύσωσιν ἄνθρωποι θεοῖς,
ἢν μὴ φόρον φέρωσιν ὑμῖν οἱ θεοὶ,
διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους
τῶν μηρίων τὴν κνῖσαν οὐ διαφρήσετε.

ΕΠΟΨ.

ἰοὺ ἰού.
μὰ γῆν, μὰ παγίδας, μὰ νεφέλας, μὰ δίκτυα,
μὴ 'γὼ νόημα κομψότερον ἤκουσά πω·

Vulgo in Vs. 188 intellegendum esse arbitrantur *γῆς καὶ οὐρανοῦ,* quam explicandi viam nuperrime ingrediendam esse statuit etiam Blaydesius in edit. Avium, quae hoc anno prodiit Halis Saxonum, p. 210 allata nube exemplorum haudquaquam aptorum. Rectius jam Kockius „Peithetäros meint aber“, inquit, „die Luft ist den Göttern in der Mitte (d. h. scheidet sie) von der Erde. Xen. Anab. 3, 1, 2: *ποταμοὶ δὲ διεῖργον ἀδιάβατοι ἐν μέσῳ τῆς οἴκαδε ὁδοῦ.* Kyrop. 5, 2, 26: *τί ἐν μέσῳ ἐστὶ τοῦ συμμῖξαι*“. De significatu dictionis *ἐν μέσῳ* cfr. etiam D' Orvill. annot. ad Chariton. VII, 3, p. 568. At, si ego recte sentio, desideratur significatio deorum vel caeli expresso verbo facta. Quare corrigendum esse existimo facillima mutatione: *δ ή π ο υ 'ν θ ε ν,* „*istinc*“, h. e. a caelo, quod digito monstrat Pithetacrus. De genetivo *γῆς*

1) Secundum editionem, quae prodiit Lipsiae sumptibus et typis B. G. Teubneri MDCCCXXV.

cum *ἐν μέσῳ* constructo praeter alterum locum a Kockio allatum conferri etiam potest usus verbi *ἐμποδών*, qui reperitur apud Euripidem in Suppl. Vs. 395: *λόγων τίς ἐμποδὼν ὅδ' ἔρχεται;* Itaque opus non est dativo *γῇ*, Ceterum vid. quae infra disputabuntur de Vs. 550 sq.

Versum 193 primus Beckius ex loco qui est infra 1218 insertum esse statuit. Quam sententiam probaverunt recentiores editores ad unum omnes. At non liquet, cur versus hoc loco in margine ascriptus sit. Haec res, opinor, explicari non potest nisi sumitur, eum, qui verba ascripserit, hoc ipso loco desiderasse similia. Profecto verba aptissima sunt et fere necessaria excepto uno solo *ἀλλοτρίας*. Aptius est verbum contrarii significatus *ὑμετέρας*, cfr. Vs. 1264. Sed parum probabile est, hoc in *ἀλλοτρίας* corruptum esse. Speciosius aliquis conjiciat, scriptum fuisse: *αἰθερίας*. Cfr. Vs. 1277:

ὦ κλεινοτάτην αἰθέριον οἰκίσας πόλιν.

Propter hunc locum in illo, de quo agimus, *αἰθερίου* scribere opus non est.

In annotatione ad versum 195 Kockius quaerit, memineritne Demosthenes, notum illud dans jusjurandum:

μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα,

hujus loci Aristophanei. Non opinor. Quid sibi velit Blaydesius „parodiam hanc esse juramenti istius *ἐμμέτρου*“ asseverans, haud intellego. Immo miror, homines doctos a se impetrare potuisse, ut verbum *γῆν* tolerarent. Haud sane raro jurabant per terram. Scholiastes Aristophanis ad verba *μὰ νεφέλας* annotavit haec: *οὕτω δὲ τὰ προστυχόντα ὤμνυον, μὰ κρήνας, μά γῆν, μὰ ποταμούς* (qui perperam accepit verbum *νεφέλας*). Conferatur imprimis locus Homericus qui est Il. III, 276 sq. Aristophanes ipse in Pac. Vs. 188 Mercurium per terram jurantem facit. At ubi plures sive dii sive res juxta commemorantur, similes esse solent. Sic res habet etiam in jurejurando illo ad hoc proxime accedente, quod a Socrate pronunciatur in Nub. Vs. 627:

Μὰ τὴν Ἀναπνοήν, μὰ τὸ Χάος, μὰ τὸν Ἀέρα.

Jam quum res illae, per quas hic poeta secundo tertio quarto loco lepide jurantem facit Epopem, instrumenta sint, quibus capiuntur aves, jure exspectaverit aliquis, etiam primo loco simile quid commemoratum fuisse. Accedit quod cum terra parum rei avibus est, quas aptius erat per aerem jurantes inducere. Aut omnia me fallunt aut Aristophanes usus erat verbo *viscum* significante. Virgarum viscatarum etiam infra in Vs. 527 mentionem injecit *ῥάβδους* appellans. Jam agitur de verbo externa specie verbi *γῆν* simili at minus noto. Meminerit aliquis verborum *γλία* et *γλοιά*, quae idem atque *κόλλα* valere tradunt scriptor Etymol. Magn., Eustathius ad Homer. p. 1560, 32, Hesychius (codex Hesych. praebet: *γλοῖα*, Maur. Schmidtius scripsit: *γλία*, vulgo legendum esse censent: *γλοιά*, sed nescio an praestet: *γλοία*). Cognata sunt verba *γλοιός*, quo Aristophanes ipse usus est in Nub. Vs. 449, *γλοίης* (Etym. Magn.: *γλοίητα τὸν ῥυπαρὸν καὶ μοχθηρὸν τῷ ἤθει*), *γλίνη* et *γλίνα*, quibus postremis verbis secundum Suidam et scriptorem Etym. M. significatur *ὁ ῥύπος*, *γλίσχρος* (Arist. Acharn. 452), *γλίττον*, quae recensentur apud Hesychium. Jam sane verba *γλία* et *γλοιά* vel *γλοία* apta non sunt ad

versum Aristophaneum; at quaeritur, extiteritne aliud verbum ad eandem stirpem pertinens verbi *γῆ* externa forma simillimum, quale est *γλῆ*. Hoc negari non posse, apparebit, si quis meminerit, juxta *ῥοία* in usu fuisse *ῥοή*. Itaque ex forma *γλόη*, quam ponere licet propter *γλοία*, oriri potuit *γλῆ*, ut *διπλῆ* ex *διπλόη*. Restat etiam altera explicandi ratio. Quippe, ut juxta *ῥοία* exstitit *ῥέος*, ita juxta *γλοία* et *γλία* esse potuit *ΓΛΕΑ*, unde fieri potuit ut prodiret *γλῆ*, ut ex *ΓΕΑ* *γῆ*.

Vs. 442 sq.

μήτ' ὀρχίπεδ' ἕλκειν, μήτ' ὀρύττειν

ΧΟΡΟΣ.

οὔ τί που

τὸν . .; οὐδαμῶς.

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

οὔκ, ἀλλὰ τὠφθαλμὼ λέγω.

Nollem editores in partes Valckenaerii abissent, in Vs. 444 pro *τὸν* scribi jubentis *τόνδ'*. Anus intellegebatur, etiam si digito non monstrabatur. Cfr. Nub. Vs. 713 sq.:

καὶ τοὺς ὄρχεις ἐξέλκουσιν
καὶ τὸν πρωκτὸν διορύττουσιν,

etiam Pac. Vs. 898:

ὀρύττειν, πὺξ ὁμοῦ καὶ τῷ πέει.

De alia corporis parte omnino non poterat cogitari; aposiopesis autem, quam vocant, aptissima est, quippe qua aversationem egregie manifestet chorus. Video his scriptis etiam Blaydesium, qui et ipse Valckenaerii conjecturam verborum in perpetuitatem recepit, in annotatione ad hunc locum adjecisse: „recte forsan habet vulgata“.

Vs. 550 sq.

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

καὶ δὴ τοίνυν πρῶτα διδάσκω μίαν ὀρνίθων πόλιν εἶναι·
κἄπειτα τὸν ἀέρα πάντα κύκλῳ καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξὺ
περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς, ὥςπερ Βαβυλῶνα.

Hodie quoque verba *τουτὶ τὸ μεταξὺ* explicant ita ut scriptor scholii, quod reperitur in libro Rav.: *τὸ μεταξὺ λέγει γῆς καὶ οὐρανοῦ.* Comparant locum, qui est supra in Vs. 188, ex nostra sententia corruptum. Alius Aristophanis locus, is qui exstat in Acharnens. vs. 433 sq.:

κεῖται δ' ἄνωθεν τῶν Θυεστείων ῥακῶν
μεταξὺ τῶν Ἰνοῦς,

sine dubio ille genuinus, neutrius horum locorum ita est similis, ut in censum vocari possit. Et quid lucrabimur admissa perdura illa et inaudita ellipsi? Si verba in libris mscr. tradita essent genuina, intellegendum esset *μεταξὺ αὐτοῦ*, h. e. *τοῦ ἀέρος*. At quid esset illud, quod inter aera situm diceretur? An montes? Tale quid commemorare vel propterea plane ineptum fuisset, quod per se intellegitur, simul cum aere etiam id, quod in aere est, muro cingi. Mihi dubium non est, quin locus sit corruptus. Propono autem scribendum: *τουτὶ τὸ μέγ' ἄστυ*. *Τουτὶ* quum dicit Pithetaerus digito non monstrat, sed audiri vult urbem (*πόλιν*) in versu 550 commemo-

ratam, quam eandem esse atque aera significat. Est igitur *καὶ* particula significantis accuratius, non novum quid addentis. Conferendi sunt imprimis versus 193, de quo superius sermo fuit, et 1218:

διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους,

praeterea etiam Vs. 1173:

διὰ τῶν πυλῶν εἰσέπτετ' εἰς τὸν ἀέρα,

Vs. 1190 sq. 184, 1515.

Vs. 561 sq.

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

τοῖς δ' ἀνθρώποις ὄρνιν ἕτερον πέμψαι κήρυκα κελεύω,
ὡς ὀρνίθων βασιλευόντων θύειν ὄρνισι τὸ λοιπόν·
κἄπειτα θεοῖς ὕστερον αὖθις· προςνείμασθαι δὲ πρεπόντως
τοῖσι θεοῖσιν τῶν ὀρνίθων ὃς ἂν ἁρμόζῃ καθ' ἕκαστον·
ἢν Ἀφροδίτῃ θύῃ, πυροὺς ὄρνιθι φαληρίδι θύειν·
ἢν δὲ Ποσειδῶνί τις οἶν θύῃ, νήττῃ πυροὺς καθαγίζειν·
ἢν δ' Ἡρακλέει θύῃ τις βοῦν, λάρῳ ναστοὺς μελιτοῦντας·
κἂν Διὶ θύῃ βασιλεῖ κριόν, βασιλεύς ἐστ' ὀρχίλος ὄρνις,
ᾧ προτέρῳ δεῖ τοῦ Διὸς αὐτοῦ σέρφον ἔνορχιν σφαγιάζειν.

Maxime corrupti sunt versus, qui versum 564 excipiunt. Secundum ea, quae annotavit scholiastes ad hunc versum: *προσνείμασθαι δέ, μερίσαι καὶ προσοικειῶσαι ὄρνιν ἑκάστῳ θεῷ, ἱέρακα Ἀπόλλωνι, καὶ τὰ ἑξῆς*, ita videri ac si inter versum 564 et 565 minimum unus intercidisset versus, in quo de Apolline et avi ipsi sacra, probabiliter accipitre (cfr. Vs. 516), sermo fuisset, jam olim diximus.

In Vs. 565 et 566 verborum *πυροὺς* alterutrum vitiosum esse, jam Brunckius sensit. Existimant autem *πυροὺς* priore loco positum corruptelam traxisse, quae sententia si esset vera, maxime commendaretur conjectura Meinekii scribendum esse censentis: *γύρους*. At enim vero nemo adhuc observavit, sacra diis et avibus offerenda accuratissime inter se respondere. Ut victimae, de quibus in Vs. 568 et 569 sermo est, *κριὸς* et *σέρφος ἐνόρχης*, animalia sunt genere diverso, natura simillima et sexu eadem, sic etiam id, quo sacrificandum esse anati Pithetaerus praecipit in Vs. 566, quum Neptuno ovem mactandam esse dicat, animal aliquod fuisse tantum non necesse est, et quidem animal masculini generis, nam *ὄϊς*, cujus in Vs. 566 mentio fit, est *ἀρνειὸς* (cfr. Homer. Od. XI, 131, XXIII, 278). Ergo mutatione opus est in Vs. 566. Sine dubio scribendum: *μύρους*, ita ut significetur *murena mas*. Hesychius secundum M. Schmidtium: *μύρος* (sic), *ἰχθῦς ποιός· καὶ ἡ μύραινα ἀρρενικῶς* (cod. porrigit: *μῦρος ἄρρεν* (h. e. *ἄρρην*), *μύραινα*) et: *μύραινος ἡ μύραινα, ἀρσενικῶς· ἄλλοι δὲ μύρον* (sic M. Schmidt.) *αὐτὸν καλοῦσιν, ἔστι δὲ καὶ ἄρρην* (simul audiendum videtur *ἡ μύραινα*, fuit enim qui murenas feminini tantum sexus esse traderet, cfr. Plin. Nat. hist. XXXII, 14). Praeterea Hesychius tradit: *σμῦρος· ὁ ἄρσην ἰχθῦς, καὶ ἡ θήλεια σμύραινα*. *Σμῦρος* appellatur ab Aristotele Hist. anim. V. 10, p. 543ᵃ, 24, cfr. etiam Plinii Nat. hist. IX, 76, ubi, postquam nomen commune „murena“ commemoratum est, pergitur: „Aristoteles zmyrum vocat marem qui generet; discrimen esse, quod murena varia et infirma sit, zmyrus unicolor et robustus

dentisque extra os habeat". Ex primo Hesychii loco haud concludendum est, duo diversa piscium genera appellata esse μύρους. Quam aptus sit myrus, quamquam piscis mari peculiaris, ad victimam anati sacrificandam, ultro apparet. Notum est autem, vel apud homines murenas pertinuisse ad cibos delicatiores. Restat ut de Vs. 565 dicam accuratius. Olim verbum πυροὺς construebant cum prioribus. Sic etiam scholiastes, qui hanc causam affert tritici granorum Veneri sacrificandorum: ἐπεὶ οἱ ἑφθοὶ πυροὶ πρὸς συνουσίαν ἐγερτικοί. Quae construendi ratio si probanda est — id quod mihi quidem haud dubium videtur — deest res, qua operandum esse fulicae Pithetaerus significaverat, quae ipso verbo nominanda erat. Probabile est autem, nomen latere in verbo θύειν, quo opus non est, quum facile simul audiri possit. Itaque conjicio, scriptum fuisse: θρῖον, h. e. *opus pistorium ex farina triticea optima aliisque rebus coctum*, cfr. schol. ad Acharn. 1101, ad Eq. 954, ad Ran. 134, Hesych. et Suid. s. v. θρῖον, Eustath. ad Hom. Il. p. 757, 53, schol. ad Lucian. Lexiph. VI, Vol. IV, p. 152 ed. Jacobitz. Apparet, quanta similitudo intercedat inter πυροὺς ἑφθοὺς et θρῖον, simul etiam — id quod haud est ineptum — lautius et delicatius esse sacrificium avi offerendum. Denique — ut etiam hujus rei mentionem injiciam —, si probabitur quod jam olim conjeci, inter Vers. 564 et 565 aliquid intercidisse, cui conjecturae nuperrime Blaydesius assensus est l. c. p. 67, verisimillimum erit, ante verbum Ἀφροδίτῃ inserendam esse particulam δ', quum Δ facillime ante Α excidere potuerit.

De versus 567 scriptura Blaydesius haec annotat: „θύῃ τις (τὶς *R.*) *A. K. V. Γ.* schol. om. B. vulg." Particula τις haud dubie addita est a manu aliena, ita ut ea nullam verisimilitudinis speciem praebeat conjecturae a Meinekio propositae, quae est θύῃσι. Desideratur nomen sacrificii, ut supra in Vs. 565. Contra verbo θύειν opus non est, quum facile ex proximo versu intellegatur, ut in verbis quae sequuntur ναστοὺς μ· aeque facile simul auditur καθαγίζειν. De quali cibo sermo fuerit, docent verba proxima ναστοὺς μελιτοῦντας (sic enim pro μελιτούττας scribendum esse vidit Meinekius, cfr. Hesych. μελιττοῦντας (h. e. μελιτοῦντας)· πλακοῦντας, quam annotationem M. Schmidtius ad hunc locum Aristophaneum rettulit. Ne multus sim, scriptum erat: ἢν δ' Ἡρακλέει θ ύ λ η μ α, λάρῳ cett. Ultima verbi θύλημα syllaba facillime ante ΛΑ intercidere potuit. Ex reliquiis illius verbi orta est scriptura θύῃ. Cui subinde additum est τις ab interpolatore aliquo verbum expleturo. Pluralis θυλήματα reperitur in Aristoph. Pac. Vs. 1039 et in fragmento Platonis Comici, quod est apud Meinekium II, p. 656 = I, 16. 9. Hesychius: θυλήματα· βεβρεγμένα μ έ λ ι τ ι ἄ λ φ ι τ α, ἢ θυμιάματα ἐπὶ βωμῶν. Itaque agitur etiam hic de placenta mellita.

Vs. 609

Pithetaeri haec sunt verba:

οὐκ οἶσθ' ὅτι πέντ' ἀνδρῶν γενεὰς ζώει λακέρυζα κορώνη;

Diversum numerum aetatum significatum reperimus in noto illo Hesiodi fragmento, quod exstat apud Plutarch. de def. orac. p. 415, c:

ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν ἡβώντων,

quem locum respicit Plinius Nat. hist. VII, 153: „Hesiodus, fabulose, ut reor, multa de hominum aevo referens cornici novem nostras attribuit aetates“. Cfr. etiam Arat. Diosem. Vs. 1022, ubi κορώνη appellatur ἐννεάγηρα vel potius ἐννεάνειρα (Lobeck. ad Phrynich. p. 538, adn., et Paralip. Gr. Gr. p. 214). Parum probabile est, Aristophanem secutum esse auctorem ab Hesiodo diversum; minus etiam id, quod statuerunt homines docti, poetam comicum metri necessitate coactum mutavisse numerum aetatum aut memoria esse lapsum. Dubitari nequit, quin ne ea quidem verba, quae secundum conjecturam Bentleji, communi plausu acceptam, supra reddenda curavimus, genuinam poetae manum exhibeant. Vel sic tamen haec propius accedunt ad id, quod poeta dederat, quam librorum scriptura, quae haec est: πέντε γενεὰς ἀνδρῶν. Scribendum propono: οὐκ οἶσθ' ὅτι ἔ ν ν α ν δ ρ ο ν γ ε ν ε ὰ ν ζ. λ. κ.; Verbum ἔνναvδρος quantopere respondeat verbo ἐννεάνειρα ab Arato usurpato, in oculos incurrit.

Vs. 641 sq.:

εἰσέλθετ' εἰς νεοττιάν γε τὴν ἐμὴν
καὶ τἀμὰ κάρφη καὶ τὰ παρόντα φρύγανα,

Haud astipulor Kockio de versu 642 haec annotanti: „Mir scheint der Vers aus einem anderen Lustspiel von einer passenderen Stelle hierher übertragen zu sein: er lässt sich ohne Schaden, vielmehr zum Gewinn des Satzes ausscheiden“. Ad nidos construendos aves utuntur sarmentis foliisque aridis. Verbis, de quibus sermo est, significatur, etiam Epopis nidum sic esse constructum. Adduntur autem haec verba ab Epope, ne nimium quid exspectent hospites, atque ut excuset habitationem vilem, ut solent agere ii qui invitant. Ceterum offendo in verbo παρόντα. Nescio an potius scriptum fuisse dicam: καὶ π α ρ ο π τ έ α φρύγανα. Verbum παροπτέα, construendum illud etiam cum κάρφη, significare potest: *in quibus connivendum est.*

Vs. 848 sq.

Pithetaerus dicit secundum libros mscrptos

ἐγὼ δ' ἵνα θύσω τοῖσι καινοῖσιν θεοῖς,
τὸν ἱερέα πέμψοντα τὴν πομπὴν καλῶ.

Dubitet aliquis an pro θύσω scribendum sit θ ύ σ ῃ, collato versu qui est 862:

ἱερεῦ, σὸν ἔργον, θῦε τοῖς καινοῖς θεοῖς.

Nihil refert, quod Pithetaerus in Vs. 922 de semet ipso loquitur his verbis:

οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ,

nam quum haec verba facit, revera locum sacerdotis abacti (cfr. Vs. 893) obtinet.

Vs. 851 sq.

ΧΟΡΟΣ.

ὁμοῤῥοθῶ, συνθέλω,
συμπαραινέσας ἔχω
προσόδια μεγάλα
σεμνὰ προσιέναι θεοῖσιν·
ἅμα δὲ προσέτι χάριτος ἕνεκα
προβάτιόν τι θύειν.
ἴτω, ἴτω, ἴτω δὲ Πυθιὰς βοά·
συναδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν.

Haec stropha aeque atque antistropha, quae est Vs. 895 sq., mea sententia non a choro canitur, sed a pompa, quam ducit Sacerdos. Astipulor Carolo Beerio in libro, quem inscripsit „Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes“, p. 38 sq. contendenti, antistropham, quam primus agnovit, a Sacerdote cani non potuisse, ergo ne stropham quidem ab hoc esse cantatam; at quod censet, Sacerdotem post cantatam demum stropham Vs. 859 in scaenam prodire, aperte falsissimum est.

In versu 856 librorum scripturam *πρόβατον τι* mutandam videri in *πρόβατον ἕν τι,* jam olim significavi. Cui conjecturae assentitur Blaydesius p. 97.

Versum 857, cujus in fine post *βοὰ* libri praebent *τῷ θεῷ*, Bentlejus ita correxit ut scriberet:

ἴτω ἴτω δὲ Πυθιὰς βοὰ θεῷ,

quod ego quoque verisimillimum duco, nisi quod pro *θεῷ*, quum haud intellegam, quid singularis numerus sibi velit, scribendum censeo: *θεοῖς*, ut in Vs. 854 est *θεοῖσιν*. *Σ* litera finalis aut excidit ante *συνᾳδέτω* aut temere translata est ad verbum quod sequitur, ita ut ex *ὑπᾳδέτω* fieret *συνᾳδέτω*.

Pro hoc verbo G. Hermannus legendum censuit: *συναυλείτω*, Beerius l. c. p. 39 optionem dat aut ita scribendi aut *συνῳδείτω*. Aptius, opinor, Meinekius in Vindic. Aristoph. libr. p. 102 conjecit: *ὑπαυλείτω*. Praeterea Meinekius secutus est Hermannum librorum scripturam *ᾠδὰν* in *ᾠδᾷ* mutantem. Kockius omnino secutus est Hermannum. At equidem — nisi quod mihi praestare videtur *ὑπᾳδέτω* — nescio an acquiescendum sit in librorum scriptura. Chaeris enim, pessimus ille tibicen saepius ab Aristophane derisus, tanquam corvus personatus producebatur ita ut duplex tibia corvi rostrum repraesentaret, id quod apparet ex verbis Pithetaeri, quae sunt 859 sq.:

παῦσαι σὺ φυσῶν. Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν;
τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ πολλὰ δὴ καὶ δείν' ἰδὼν,
οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβιωμένον.

Atqui corvi *ᾄδουσι*, non *αὐλοῦσι*. Verba *ᾄδειν* et *ᾠδά*, ut saepius de cantu galli usurpantur, ita hoc loco crocitum corvi significant. In Homer. Od. XXI, 411 verbum *ἀείδειν* adhibitum reperitur de nervo arcus sonante. Sane in Vs. 902, qui versui 858 respondet, libri plurimi iidemque optimi porrigunt: *γένειον τ'*. At in lemmate scholii deest particula *τ'* et apud Suidam s. v. *θύματα* hic locus sic reperitur scriptus:

τὰ θύματ' οὐδέν ἐστι πλὴν γένεια καὶ κέρατα,

ita ut non sit non probabile, Aristophanem scripsisse: *γένειά τ'*, vid. quae annotata sunt a Blaydesio p. 101. Etiam Bergkius, ceteroquin haec verba aliter corrigens, *γένεια* plurali numero scriptum fuisse statuebat.

Vs. 864 sq.:

ΙΕΡΕΥΣ.

δράσω τάδ'. ἀλλὰ ποῦ 'στιν ὁ τὸ κανοῦν ἔχων;
εὔχεσθε τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείῳ, καὶ τῷ ἰκτίνῳ τῷ ἑστιούχῳ, καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσιν,

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ' ἄναξ Πελαργικέ.

ΙΕΡΕΥΣ.

καὶ κύκνῳ Πυθίῳ καὶ Δηλίῳ.

Locus difficilis et adhuc compluribus mendis refertus.

Et primum quidem mirum esset, si Sacerdos ante verbum *εὔχεσθαι* non pronunciasset notum illud *εὐφημεῖτε* vel *εὐφημία ἔστω,* qua posteriore exclamatione Pithetaerus utitur infra in versu 959, ubi, ut in oratione astricta, est *εὐφημία 'στω.* In Thesmophor. Vs. 295 Praeco, qui soluta utitur oratione, repetitis verbis bis exclamat: *εὐφημία ἔστω, εὐφημία ἔστω.* Etiam verbum *εὐφημεῖτε* bis positum reperitur in Acharnens. Vs. 241 et in Pac. Vs. 434. Per se facilius intercidere potuisse *εὐφημεῖτε* quam *εὐφημία ἔστω,* liquet, nec tamen propterea certum est, illam exclamationem restituendam esse, quum haec commendari videri possit eo, quod infra adhibita est. Item in Vesp. Vs. 868, ubi aeque est oratio astricta, semel tantum silentium fieri jubetur, idque verbis *εὐφημία ὑπαρχέτω.* — Ceterum, ut nunc demum video, jam Meinekius, quamquam dubitanter, l. c. p. 102 annotavit: „fortasse solemnis formula excidit *εὐφημία 'στω*" (immo: *εὐφημία ἔστω*).

Magis etiam miror, neminem offendisse in verbis *τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείῳ.* An aptum est, quod Sacerdos dicit: „ei, quae Vesta est inter aves"? Quis quaeso, astipuletur Kockio haec annotanti: „Die Hestia, Vesta, war in dem Vogelreiche weder zu entbehren noch zu ersetzen; daher wird sie nur durch den Zusatz *ὀρνίθειος* zur Vogelgöttin gestempelt". Immo ultro apparet, necessarium esse ut certam quandam avium speciem ipso nomine significatam fuisse statuamus. Jam vero si quaeritur, quae avis aptissime Vestae respondeat — qua de re interpretes omnino tacent —, equidem non dubito contendere, gallinam esse, quippe quae inter aves domesticas primum locum teneat. Notum est autem, gallinam significari dictione *ἡ ὄρνις.* Itaque alicui in mentem veniat corrigere: *τῇ ὄρνιθι.* At nulla omnino mutatione opus est, quum *ἡ ὀρνίθειος* significare possit: *quae ad gallinas pertinet.* Cfr. dictionem *ἄναξ πελαργικὲ* paullo infra in Vs. 869 adhibitam. Videtur autem hac ipsa dicendi ratione usus esse Aristophanes eo fine, ut intellegi posset gallina, quae haud pareret, ergo virgo esset.

Post aves Vestae, cui primus datus est locus secundum morem notum, et ei, quae vocatur *ὁ Ἑστιοῦχος* (sic enim scribendum est, prima litera majuscula), respondentes recensentur *ὄρνιθες, Ὀλύμπιοι καί Ὀλυμπίαι πάντες καὶ πᾶσαι.*

Verba huc spectantia sedem mutasse censet Kockius, quippe quae origine posita fuerint ante versum 878. Hanc sententiam per se ipsum parum probabilem amplexi sunt Meinekius in Vindic. p. 102 et G. Dindorfius. At ordo verborum, quem libri mscrpti praebent, commendatur vel eo, quod accurate respondet ei, qui invenitur in Thesmophor. Vs. 331 sq.:

εὔχεσθε τοῖς θεοῖσι τοῖς Ὀλυμπίοις
καὶ ταῖς Ὀλυμπίαισι, καὶ τοῖς Πυθίοις
καὶ ταῖσι Πυθίαισι, καὶ τοῖς Δηλίοις
καὶ ταῖσι Δηλίαισι, τοῖς τ' ἄλλοις θεοῖς.

Apparet, hanc seriem deorum in precationibus solemnibus tralaticiam fuisse. Quae res adversatur etiam alteri sententiae prolatae a Kockio, cen-

sente ante ipsa verba ὦ Σουνιέρακε cett. excidisse „καὶ τῷ ἱέρακι τῷ Σουνιακῷ“ vel „καὶ Ποσειδῶνι τῷ Σουνιέρακι (-άκῳ?)“, ex quibus supplementis id, quod priore loco posuit, haud dubie aptius esset altero. Difficultates, quas sane creat locus, ut in libris mscrptis traditur, alia ratione tollendae sunt. Ne multa —, aves Olympias Aristophanes non solum eas intellegi voluit, quae in Olympo Thessaliae monte versarentur, ubi habitare credebant deos, qui vulgo appellantur Olympii, sed, quum praeter illum satis multi exstarent montes et loci editi nominati eodem vocabulo (recensum dederunt Pape et Benseler, in libri, qui inscribitur „Wörterbuch der Griechischen Eigennamen“, T. II, p. 1055 ex tertia edit.) et ipsi sacri, facete hic poeta jocatus est, Olympios intellegi volens incolas sacrorum montium et locorum editorum, quorum etiam Attica unum continebat jam ab Homero commemoratum, dico Sunium illud sacrum promunturium. Neque dubito quin hoc accuratius significaverit quam adhibito verbo Σουνιέρακε. Scripserat autem, nisi toto fallor caelo: Σουνιέρακρε, h. e. *Sunium sacrum promunturium tenens*, memor loci Homerici, qui est Odyss. III, 278. Etiam in Nub. Vs. 401 Homerum secutus posuit: Σούνιον, ἄκρον Ἀθηνέων. Accipitribus abundasse Sunium, vel unum accipitrem Atheniensibus notum in hoc promunturio fuisse, nemo, quod ego sciam, prodidit memoriae; nec per se tam probabile est quam ibi nidos habuisse ciconias. Accedit quod minus placet, accipitrem ciconiarum dominum appellari. Aptius sane vocatur *deus ex genere ciconiarum*. Denique, si recte opinantur, avem, de qua hoc loco sermo est, cum Neptuno conferri, qui in Equit. Vs. 560 vocatur Σουνιάρατος, censentes etiam „verbo πελαργικὸς alludi ad πελαγικός“, ciconia multo magis quadrat ad hunc deum quam accipiter, qui nusquam refertur ad deum maris. Simul etiam de Pelasgis significari videri, qui etiam aliis locis cum ciconiis comparantur, jam olim annotavi, cfr. quae Blaydesius congessit l. c. p. 325. Nec tamen propterea Πελαργικὲ scribendum est prima litera majuscula. Contra in Vs. 875 ego quidem scripserim: στρουθῷ Μεγάλῃ Μητρὶ θεῶν.

Restat etiam ut quaeramus, cuinam attribuendi sint versus 868, 874, 877, 880. De his Blaydesius haec refert: „Sacerdoti cont. R. Ald. *ΠΕ.* —, ni fallor B. S. De V. non liquet“. A plurimis recentioribus judicibus criticis dantur Pithethaero, a Brunckio atque Kockio choro. Equidem cum de aliis causis tum de iis, quas protulit Kockius, tribuendos esse existimo ducibus hemichoriorum pompae.

Vs. 881.

Sacerdos transit ad heroes et heroum liberos his verbis:

καὶ ἥρωσι, καὶ ὄρνισι, καὶ ἡρώων παισί, καὶ πορφυρίωνι.

In verbis καὶ ὄρνισι quin mendum sit, dubitari nequit. Quare homines docti aut ambo insiticia esse statuerunt, aut prius, scriptum fuisse censentes: ἥρωσιν ὄρνισι. At neutra sententia vel per se admodum probabilis est. Alteri, quam G. Hermannus primus protulit, probaverunt alii egregii judices critici, non solum id obstat, quod καὶ reperitur in libris mscriptis ad unum omnibus nec tamen facile explicari potest, unde originem ceperit, sed etiam id, quod ὄρνισι plane superfluum, ne dicam ineptum videtur. Praeterea hoc verbum aequo jure atque verbo ἥρωσι addendum erat etiam verbis

ἡρώων παισί. Mihi quidem pro ὄρνισι videtur scriptum esse: ἡρωΐσι. Quod in Nub. Vs. 315 poeta usus est forma ἡρῷναι, nihil refert.

Praeterea etiam quaerendum est, sitne sententia, ex qua particulam καὶ, quae reperitur ante verbum πορφυρίωνι, delendam esse secundum G. Dindorfium omnes homines docti consentiunt, tam certa, quam ipsis est visa. Sane plurimi iique optimi libri mscripti καὶ non exhibent, nec ferri potest particula ante ipsum verbum πορφυρίωνι posita, nam aves, quae inde ab hoc verbo enumerantur, ut recte annotavit Dindorfius, „sunt heroes, quos sacerdos dicit, καὶ ἡρώων παῖδες". At enim vero conjicere licet, inter καὶ et πορφυρίωνι excidisse κόραις, quod facillime fieri potuit propter similitudinem, quae intercedit inter literas ΚΟΡ- et ΠΟΡ-. Per se quidem opus non est illo verbo, quum verbum παῖδες de liberis masculinis simul et femininis intellegi possit. Sed si Sacerdos juxta heroes etiam heroinas commemoravit, probabile est, eum liberos quoque heroum masculinos et femininos expressis verbis appellasse. Aeque diligens atque copiosa oratio Sacerdotis est etiam in Vs. 866 sq.

Vs. 885

scriptum reperitur: καὶ ἐλεᾷ. At avis nomine ἐλεᾶς hoc loco commemorari non potest, si in Vs. 302 recensetur inter aves ad chorum pertinentes. Quod si ita est, hic scribendum videtur: ἐλέᾳ, cui conjecturae favent etiam libri mscrpti secundum ea, quae annotavit Blaydesius p. 99, excepto codice Ravennate, qui solus praebet ἐλεᾶς. De hac avi Aristoteles in Hist. anim. IX, 16, 1 haec habet: Ἡ δ' ἐλέα ὥσπερ ἄλλος τις τῶν ὀρνίθων εὔβιοτος, καὶ καθίζει θέρους μὲν ἐν προσηνέμῳ καὶ σκιᾷ, χειμῶνος δ' ἐν εὐηλίῳ καὶ ἐπισκεπεῖ ἐπὶ τῶν δονάκων περὶ τὰ ἕλη. Ἔστι δὲ τὸ μὲν μέγεθος βραχύς, φωνὴν δ' ἔχει ἀγαθήν. Avis igitur ut βοσκᾶς est palustris atque etiam nomen duxisse videtur ab eo, quod Graece appellatur ἕλος. Secundum scholiastam ad Vs. 302 a Callimacho vocata esse videtur ἐλείας.

Vs. 886

secundum libros mscrptos, postquam Sacerdos monuit precandum esse αἰγιθάλλῳ, oratio interrumpitur his Pithetaeri verbis:

παῦ' ἐς κόρακας· παῦσαι καλῶν, ἰοὺ ἰού.
ἐπὶ ποῖον ὦ κακόδαιμον ἱερεῖον καλεῖς
ἁλιαιέτους καὶ γῦπας; οὐχ ὁρᾷς ὅτι
ἰκτῖνος εἷς ἂν τοῦτό γ' οἴχοιθ' ἁρπάσας;

At neque aquilae marinae neque vulturis mentio facta est a Sacerdote. Nihili est autem quod Blaydesius p. 330 „has aves", inquit, „ut prae ceteris voraces pro avibus generatim nominat". Ergo ante ipsa illa Pithetaeri verba intercidisse videtur: καὶ ἁλιαιέτῳ καὶ γυπὶ —. Quae conjectura eo est probabilior, quod, lacunam statuendam esse post αἰγιθάλλῳ, ex verbis scholiastae jam pridem perspexit Halbertsma, quem secuti nunc ad unum omnes illi verbo subjungunt verba καὶ ἠρισάλπιγγι. Fortasse etiam in superioribus Sacerdotis verbis aliquid intercidit. Scholiastes ad Vs. 884 annotavit: Ἐπισκεπτέον περὶ τούτων ἐκ τῆς τῶν ζῴων ἱστορίας, τίς ὁ τέτραξ καὶ φλέξις καὶ ἐλασᾶς, ἡ γὰρ βάσκα καὶ καταρράκται εἰσὶ παρὰ Καλλιμάχῳ ἀναγεγραμμέναι, καὶ ἀντὶ ἐδωλίου εἰδώλιος, ὁ δὲ αἰγίθαλλος οὔτ' ἐρισάλπιγξ, ἔστι δὲ ὑπὸ τὸν

ἱέρακα, οὕτως δὲ ὠνομάσθη, ὥς τινες, παρὰ τὸ ἐξ αἰγὸς τεθηλακέναι. Haec verba compluribus mendis referta esse apparet. Nec tamen consentio cum Bentlejo, verbum ἐδωλίου ex ἐρωδιοῦ corruptum esse rato. Probabilius duco, καὶ ἐδωλίῳ in libris Aristophaneis, qui servati sunt, intercidisse ante „καὶ ἐρωδιῷ". Pro ὁ δὲ, quod est ante αἰγιθάλλῳ, Meinekius scribi jussit: οὔτε δὲ, quam sententiam probavit Dindorfius. Etiam ea verba, quae verbum ἐρισάλπιγξ excipiunt, mendosa sunt. Apud Hesychium, qui rectius scripsit: ἠρισάλπιγξ, de hac avi nihil traditur nisi: ὀρνέου τι εἶδος. Num igitur probabile est, eam ad accipitrum genera pertinere? Meminisse jubeo, hoc ipsum referri de aegitho. Certum est autem, verba quae sequuntur spectare ad eam avem, quam Aristophanes vocat αἰγίθαλλον. Quippe confudit scholiastes hanc cum ea, quae vulgo Graece appellatur αἰγιθήλας, a Plinio Nat. hist. X, 115 *caprimulgus*, ut in superioribus verbis, nisi fallor, cum aegitho. Probabile est inter ἐρισάλπιγξ et ἔστι δὲ nonnulla verba excidisse.

Vs. 893 sq.

ἄπελθ' ἀφ' ἡμῶν καὶ σύ καὶ τὰ στέμματα·
ἐγὼ γὰρ αὐτὸς τουτογὶ θύσω μόνος.

ΙΕΡΕΥΣ.

εἶτ' αὖθις αὖ τἄρα σοι
δεῖ με δεύτερον μέλος
χέρνιβι θεοσεβὲς
ὅσιον ἐπιβοᾶν, καλεῖν δὲ
μάκαρας, ἕνα τινὰ μόνον, εἴπερ
ἱκανὸν ἕξετ' ὄψον.
τὰ γὰρ παρόντα θύματ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν
γένειόν ἐστι καὶ κέρατα.

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

θύοντες εὐξώμεσθα τοῖς πτερίνοις θεοῖς.

Duo primi versus sunt Pithetaeri sacerdotem abigentis; reliqui in libris mscrptis ascribuntur Sacerdoti, id quod ferri nequit, quia hic, ut vidimus, jam ante hoc carmen cantatum abiit. Ego duci alterius hemichorii pompae ascribendos eos esse existimo.

Hi versus etiamnunc scatent vitiis.

Ac primum quidem nunc quoque, ut jam olim, pro εἶτ' legendum censeo: ἔτ', quod etiam Blaydesio placuit. Deinde nescio an scribendum sit τἄρα σοί. Videtur enim aptum, Pithetaerum opponi Sacerdoti. Praeterea pro δεύτερον scribere praestiterit: δευτέρῳ, ut accuratius significetur cani hoc carmen Pithetaero *ut secundo*, nam *ut secundum* Pithetaero hoc carmen haudquaquam canitur.

Graviora haec sunt.

Offendo in particula δὲ, quae est in Vs. 898, aeque atque Blaydesius. Praeterea id quod dicitur καλεῖν non est eorum qui canunt, sed Pithetaeri sacerdotis locum obtinentis. Itaque conjiciat aliquis, adhibitum esse imperativum κάλει. Video Blaydesium temptasse: καλεῖς. At hoc vix ferri potest, etiam si futurum esse statueris.

In Vs. 899 sq. plurimi homines docti intacta reliquerunt verba μάκαρας,

ἕνα τινὰ μόνον, „ut memoria lapsus subito se corrigere existimetur" (verba sunt Blaydesii p. 101, qui a Sacerdote cani hoc carmen existimat); Dobraeus *μάκαρά γ' ἕνα τ. μ.* proposuit scribendum; Blaydesius scribi etiam posse *μάκαρά σ' ἕνα τ. μ.* significavit. Inter eos, qui illa quidem verba haud esse mutanda censuerunt, duo fuerunt, qui in versu 900 aliquid mutandum esse opinarentur, Beerius l. c. p. 39 et Kockius in annot. ad h. l., scribi jubentes: *ἕξει ὄψον*, quae verba Kockius interpretatur: „*wenn er anders haben soll* (nämlich der *εἷς τις*)". Quae conjectura haud displicuit Blaydesio, nisi quod „sed ita", inquit, „transponendum foret *ὄψον ἕξει*", qua mutatione opus non est. Inepta esse omnia illa emendandi pericula, mihi quidem vel ex eo videtur apparere, quod in Vs. 903 ita loquitur Pithetaerus, ut plane incredibile sit, antea sermonem fuisse de sacrificio uni tantum deo faciendo. Itaque mendum inesse censeo in verbo *μόνον*, pro quo scribendum videtur: *νόμον*, ita ut haec sententia evadat: *voca deos secundum unum aliquem ritum.* In verbis quae sequuntur probabile est significatum fuisse, quid potissimum spectandum esset in diis vocandis. Librorum scriptura *εἴπερ*, quae, etiamsi intacta reliqueris verba superiora *ἕ. τ. μόνον*, apta non est, vel per se vitii est suspecta, propterea quod in iis quae sequuntur Pithetaerus nullo verbo affirmat, adesse *ἱκανὸν ὄψον*. Equidem facillimam mutationem arbitror esse hanc: *ᾗπερ*, h. e. *ὥσπερ*, *καθ' ὅ, τι*, „*ea ratione-qua*", nec tamen obloquar, si quis scribi maluerit: *ᾧπερ*, eadem sententia, sed verbo ad *νόμον* relato. Ratio, qua post hoc carmen finitum Pithetaerus invocat deos, ab ea, quam secutus est Sacerdos, differt eo, quod ille deos in universum simul appellat, singulos autem non recenset. Ita ex ipsius arbitrio vel hircus unus talis, qualis adest, sufficit. Hunc hircum solum diis universis sacrificandum etiam infra Vs. 1057 significat. — Pluralis numerus *ἕξετε* spectat ad Pithetaerum et ad eos, qui illi assistunt in sacrificio faciendo, si plures fuerunt quam puer ille in Vs. 850 appellatus.

Vs. 943

a Poeta commemoratur *Στράτων*,

ὃς ὑφαντοδόνητον ἔσθος οὐ πέπαται.

Mirum monstrum verbi *ὑφαντοδόνητον*, quod mea sententia ferri omnino nequit. Etiam Blaydesius, ut nunc demum video, dubitanter quidem annotavit: „fortasse non sanum est". Profecto liber Ravennas praebet variam lectionem, *ἀμφιδόνητον*. Itaque ego non dubito, quin scriptum fuerit: *ὑπαμφιδόνατον*. Verbo *ἔσθος* Poetam significare tunicam, vel accuratius tuniculam, ex versibus 944, 946, 955 apparet. Forsan poeta aliquis dithyrambicus pallium appellaverat *ἀμφιδόνατον ἔσθος*. Eum Aristophanes cavillatur, fingens verbum *ὑπαμφιδόνατον* ad tuniculam significandam, quae sub pallio corpori circumcirca induitur.

Vs. 958 sq.

haec eduntur verba, quorum prima sunt Pithetaeri camillum (ut servum Trygaeus in Pac. Vs. 956) appellantis:

αὖθις σὺ περιχώρει λαβὼν τὴν χέρνιβα.

ΙΕΡΕΥΣ.

εὐφημία 'στω.

ΧΡΗΣΜΟΛΟΓΟΣ.

μὴ κατάρξῃ τοῦ τράγου.

Jam Meinekius l. c. p. 105 annotavit: "solemni formula εὐφημία 'στω (immo: εὐφημία ἔστω) vel εὐφημεῖτε ita constanter utitur Aristophanes, ut extra versum sit posita. — Chresmologus subito in scaenam ingressus vix recte potuit verbis μὴ κατάρξῃ orationem ordiri". Recte; locus, qui est supra 904 sq., diversae est rationis. Ego ut ita judicem, adducor causa potissimum a Meinekio non allata. Quippe necessarium videtur, ut Vates intercessionem non faciat nisi causa idonea allata. Itaque ego censeo, post exclamationem Pithetaeri extra versum positam: εὐφημία ἔστω, vel probabilius: εὐφημία ἔστω, εὐφημία ἔστω, intercidisse priorem partem versus a Vate pronunciati ita conceptam: διοσημία 'στί, quae verba quam facile excidere potuerint, clarum est. De re, quae vocatur διοσημία, satis habeo relegasse ad Acharn. Vs. 171 atque ea quae ad eum locum annotavit scholiastes.

Vs. 975

pergit Vates:

καὶ φιάλην δοῦναι, καὶ σπλάγχνων χεῖρ' ἐπιπλῆσαι.

Verbum ἐπιπλῆσαι corruptum esse, vidit Cobetus. Scribi voluit: ἐνιπλῆσαι. Quae conjectura probata est a recentioribus editoribus. At faciliore eademque aptiore mutatione corrigendum est: ἔτι („*praeterea etiam*") πλῆσαι.

Vs. 979

secundum libros mscrptos haec Bacidis verba recitantur a Vate:

οὐκ ἔσει οὐ τρυγών, οὐδ' αἰετός, οὐ δρυκολάπτης.

Recte Dobraeus intellexit, verba οὐδ' αἰετὸς mendosa esse. Inter correctiones, quas homines docti proposuerunt, excellit ea, quae debetur Meinekio, scribendum esse censenti: οὐ λάιος. Mihi aeque probabile videtur, scriptum fuisse: οὐκ αἴγιθος, quorum verborum id, quod posterius est, omnium facillime in αἰετὸς corrumpi potuit. De avi aegitho, avi minima, ad accipitrum genera pertinente cfr. Aristotelis Hist. anim. IX, 36, p. 620a, 22, Plin. Nat. hist. X, 21, 204, 205, Callimach. Fragm. CCCXXI.

Vs. 992 sq.

ΜΕΤΩΝ.

ἥκω παρ' ὑμᾶς

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

ἕτερον αὖ τουτὶ κακόν.

τί δ' αὖ σὺ δράσων; τίς δ' ἰδέα βουλήματος;

τίς ἡ 'πίνοια, τίς ὁ κόθορνος, τῆς ὁδοῦ;

Particula αὖ, quae est in Vs. 993, aperte vitium traxit. Mihi videtur scribendum esse: εἶ, „*ibis*". Vis futuri, quae huic verbo inesse solet, etiam hic apta est. Nam Meton, cujus verba prima interrumpuntur a Pithetaero, gradum nondum sistit omnino, sed longius progressurus est, ut apparet etiam ex verbis, quibus ille ab hoc compellatur in Vs. 1011:

κἀμοὶ πιθόμενος ὑπαποκίνει τῆς ὁδοῦ.

Pro βουλήματος Bergkius scripsit: βουλεύματος, quod receperunt Dindorfius, Meinekius, Kockius, Blaydesius. Haud astipulor.

Versum 994 Kockius et Blaydesius p. 344 imitatione expressum esse a

Luciano censent, scribente in Menipp. 2: *τίς ἡ ἐπίνοιά σου τῆς καθόδου ἐγένετο, τίς δὲ ὁ τῆς πορείας ἡγεμών;* Qua de re ego vehementer dubito. Meo sensu verbum *ἐπίνοια* juxta verba *ἰδέα βουλήματος* vix ac ne vix quidem ferri potest. Praeterea a me non possum impetrare, ut credam, *ἐπίνοια* apte construi cum *τῆς ὁδοῦ*. Scribendum videtur: *ἡ 'πίπνοια, inflatus et instinctus divinus.* Hic partim in persona expressus esse potuit, partim gestibus, ut jactatione capitis et bracchiorum, manifestari. Ultro apparet, quam aptum sit verbum *ἐπίπνοια* ad cothurnum in proximis verbis commemoratum, modo haec recte emendentur. Indigent autem emendatione. Quod enim hanc sententiam inesse censuit Hemsterhusius: „ad quod iter te *tam magnifice* accinxisti“, probari nequit. Immo vix dubium esse potest, verbum *κόθορνος* proprio sensu esse accipiendum et mendum inesse in verbis *τῆς ὁδοῦ*. Scribendum est, opinor, interpunctionis signo post *κόθορνος* posito: *τίς ὁ βάδος;* Verbum *βάδος* supra in Vs. 42 reperitur usurpatum. Meton cothurnum gerebat et elate incedebat, ut alter tragoedus. Universo versu 994 spiritus et ostentatio hominis notatur, quem Pithetacrus ad *τοὺς ἀλαζόνας* pertinere expressis verbis dicit in Vs. 1016.

Vs. 1057 sq.

ΧΟΡΟΣ.

Ἤδη μοι τῷ παντόπτᾳ
καὶ παντάρχᾳ θνητοὶ πάντες
θύσουσ' εὐκταίαις εὐχαῖς.

Mirum est, sero demum offendisse homines doctos in dictione *εὐκταίαις εὐχαῖς* quam ego jam pridem corruptam esse statui. Conjicio autem scribendum esse: *ἱκταίαις* (h. e. *ἱκεσίαις*). Verbo *ἱκταῖος* secundum libros mscrptos usus est Aeschylus in Suppl. Vs. 385, ubi sane mendi suspectum est. At vel sic in comparationem vocari potest hic locus, si recte conjecit Dindorfius, agi tantum censens de varia forma *ἵκτιος*. Cfr. etiam Hesych.: *ἵκτης· ἱκέτης*. Ceterum quaerat aliquis, praestetne scribere: *ἱκταίας εὐχάς*.

Vs. 1082 sq.

τὰς περιστεράς θ' ὁμοίως ξυλλαβὼν εἶρξας ἔχει,
κἀπαναγκάζει παλεύειν δεδεμένας ἐν δικτύῳ.

Per est mirum, homines doctos patienter tulisse verbum *ὁμοίως*. Quid, quaeso, iis, quae in Vs. 1082 sq. traduntur de columbarum tractatione, commune est cum eis, quae antea narrantur de avibus, quae appellantur *σπίνοι*, deque merulis? Ego pro *ὁμοίως* scribendum esse conjicio: *ὁμαύλων*, quod verbum pendere censeo ex *εἶρξας* (sic libri mscrpti). Verbum *ὅμαυλον* Hesychius et Photius significare tradunt *ὁμόκοιτον*. Columbas mutuo amore conspicuas esse constat.

Vs. 1093 sq.

chorus secundum libros mscr. haec canit verba:

ἀλλ' ἀνθηρῶν λειμώνων
φύλλων κόλποις ἐνναίω,

vel:

φύλλων ἐν κόλποις ναίω.

Jam pridem intellexi, vitium inesse in uno solo verbo *φύλλων*, idque

mutandum esse in *χὺλῶν*, „*et silvarum*". Postea vidi, similiter statuisse Meinekium l. c. p. 108, scribi posse ratum: *ὑλῶν τ' ἐν κόλποις ναίω*. At mea conjectura facilior est et propius accedit ad scripturam codicis Ravenn. plurimorumque aliorum librorum mscrptorum, *φύλλων κόλποις ἐνναίω* praebentium.

Vs. 1133 sq.

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

ὄρνιθες, οὐδεὶς ἄλλος, οὐκ Αἰγύπτιος
πλινθοφόρος, οὐ λιθουργός, οὐ τέκτων παρῆν.

Verbum *πλινθοφόρος* vel ideo corruptum habendum est, quod non satis respondet verbis *λιθουργὸς* et *τέκτων*. Attamen neque „*πλινθουλκός*" neque „*πλινθουργός*" commendare possum, quamquam paullo infra in Vs. 1139, ubi nonnisi de lateribus *ductis* sermo est, verbum *ἐπλινθοφόρουν*, aperte vitiosum, ex *πλινθούργουν* videtur corruptum esse. Immo vero desideratur verbum, cujus significatione *omnia* opera lateraria *summatim* comprehendantur. Itaque etiamnunc probo, quod jam olim proposui: „*πλινθοπόρος*", verbum sane aliis locis non obvium et forsan ab ipso poeta fictum ad significandum *eum qui lateribus conficiendis interest.*

Omnino munus lateres apportandi, si hi non ex loco longe distante petendi sunt, id quod in hac causa sumendum non est, tam levis est momenti, ut ego haud mirarer, si omnino non esset commemoratum expresso verbo, id quod factum esse videmus, si genuinum est verbum *ἐπλινθοφόρουν*, in loco, qui est Vs. 1148 sq.:

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

καὶ νὴ Δί' αἱ νῆτταί γε περιεζωσμέναι
ἐπλινθοφόρουν· ἄνω δὲ τὸν ὑπαγωγέα
ἐπέτοντ' ἔχουσαι κατόπιν, ὥςπερ παιδία,
τὸν πηλὸν ἐν τοῖς στόμασιν αἱ χελιδόνες.

At ego pro *ἐπλινθοφόρουν* scriptum fuisse existimo: *ἐπλινθύφουν*. Adjectivum *πλινθυφής* ex Aeschyli Prometh. Vinct. 450 notum est, ubi usurpatum est de aedibus contextis ex lateribus. Inde derivatum esse censeo verbum activum *πλινθυφεῖν*, quod significare potest: *lateres texere*, h. e. componere et jungere, quod fit in exstruendis moenibus latericiis. Itaque *ἐπλινθύφουν* praebet mentionem murorum aedificationis, quam, ut adhuc legebatur hic locus, ab Aristophane omnino non esse factam, tam est mirum, ut Meinekius, Dindorfius, Kockius suo jure in Vs. 1050 inter *κατόπιν* et *ὥσπερ* excidisse nonnulla verba statuerint. Accedit, quod etiam verbum *περιεζωσμέναι* magis ad opifices quam ad bajulos aptum est. Ceterum respicienti mihi verba postrema ad hirundines spectantia dubium non est, quin anates etiam apportasse lateres fingantur. At haec opera est secundaria; contra aedificatio murorum negotium principale, quod expresso verbo significari debebat. Si quis quaerat, cur anatibus ascribatur aedificatio murorum, rationem certam afferre non possum. At licebit quaerere, num factum sit propterea, quod verbum *νῆττα* aliquam similitudinem habet cum verbo *νῆσαι*, quo Graeci utebantur in locutionibus *πυράν, ξύλα, βωμὸν νῆσαι* (vel *νηῆσαι*). Quadrat haec sententia (quacum conferri potest quod *πελαργοῖς*, ciconiis, in Vs. 1139 laterum ductio ascribitur propter notum illud *τεῖχος Πελαργικόν*)

etiam ad anates portatrices, nam verbum *νῆσαι* simul *exstruere* significat atque *comportare.* — Restat ut breviter dicamus de verbis, quibus hirundinum negotium commemoratur. Fingit poeta, hoc contineri eo, quod pone anates volantes asciam sive trullam et lutum sublime tenent in ore. Haud sufficit trulla sola, sed etiam luto est opus, quia de muro crudo latere et luto construendo agitur. Lutum ad ligandos singulos lateres suo loco collocatos necessarium erat et ad replendum aequandumque. His rebus inserviebat trulla, *ὑπαγωγεύς*, quae Graece appellatur etiam *ξυστήρ, ξυστόν, παράξυστον.* Itaque scite Blaydesius pro *τὸν πηλὸν* scribendum esse conjecit: *καὶ πηλόν.* Verum enimvero ne sic quidem genuinam poetae manum restituit. Ut omittam, paullo graviorem esse mutationem, exspectaverit aliquis, quum antea *τὸν ὑπαγωγέα* dixerit poeta, etiam hic articulum additum esse. Corrigendum est: *παιδί' ἤ.* Probata hac mutatione omnium facillima nanciscimur sententiam aptiorem. Dicit enim poeta expressis verbis, hirundines trullam *aut* lutum apportasse, h. e. partem illam, partem hoc. Quippe simul portare trullam et lutum onus singulis hirundinibus nimis grave videri potuit. Mandatur autem hirundinibus hoc negotium secundum scholia propterea quod *τὸν πηλὸν ἐν τοῖς στόμασι κομίζουσι, ὅταν τὰς νεοσσιὰς κατασκευάζωσιν.* Addi potest, trullas aliquatenus respondere sarmentis et surculis ab hirundinibus ad construendos nidos apportatis, de qua re cfr. Aristot. Hist. an. IX, 7, 2. Certe quum hirundines portare talia suetae essent, etiam idoneae esse videri poterant ad levia bacilla lignea apportanda, quae propriarum trullarum ferrearum ab hominibus usurpatarum locum tenerent. Ceterum hirundines haud ipsae opifices esse finguntur, sed operas tantum dare anatibus ut harum pueruli sive servuli (*παιδία*); quare dicuntur *ἄνω ἔχειν τὸν ὑπαγωγέα ἢ τὸν πηλὸν* et *πέτεσθαι κατόπιν* (*τῶν νηττῶν*). Quod autem cum puerulis comparantur etiam ideo est aptissimum, quod parvae sunt aves.

Vs. 1246 sq.

ΠΕίΘΕΤΑΙΡΟΣ.

ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα,
μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἐτοῖς,
πέμψω δὲ πορφυρίωνας ἐς τὸν οὐρανὸν
ὄρνις ἐπ' αὐτὸν, παρδαλᾶς ἐνημμένους,
πλεῖν ἑξακοσίους τὸν ἀριθμόν· καὶ δή ποτε
εἷς Πορφυρίων αὐτῷ παρέσχε πράγματα.
σὺ δ' εἴ με λυπήσεις τι, τῆς διακόνου
πρώτης ἀνατείνας τὼ σκέλη διαμηριῶ
τὴν Ἶριν αὐτὴν, ὥςτε θαυμάζειν ὅπως
οὕτω γέρων ὢν στύομαι τριέμβολον.

In versu 1247 ex Aeschyli Nioba petito (cfr. Nauck. Trag. Gr. fragm. 155) nescio an ab Aristophane scriptum fuerit: *κατὰ δόμους Ἀμφίονος, in modum aedium Amphionis, aeque atque aedes Amph.* Cfr. Vs. 1002.

Graviora menda insunt in Vs. 1253 sq. Ac prima quidem verba *σὺ δ' εἴ με λυπήσεις τι,* inepta esse, egregie miror, quod nemo adhuc sensit. Non potuit sermo esse de dolore, quem Iris factura esset Pithetaero; immo poeta

hunc commemorantem fecerat, quid acturus esset, si *Juppiter* denuo ipsum affecturus esset molestia. Ergo scribendum videtur: *αὖ δ' εἴ με λυπήσει τι* (cfr. Lysistr. Vs. 656) vel *λυπήσει 'τι* (h. e. *ἔτι*), quae etiam facilior mutatio est, apparet enim, quam facile ex — *CЄIЄTI* nasci potuerit — *CЄICTI*). Verba quae sequuntur quod Kockius sana esse censuit, postquam Meinekius jure ea in suspicionem adduxit, mirum est, quamquam magis etiam miranda sunt, quae Meinekius de loco emendando explicandoque protulit. Neque pluris facienda sunt quae addidit Blaydesius Ne multus sim, haec annotare satis habeo. Meinekius quum „crurum *ἀνάτασις*", inquit, „non potest pro ipso coitu dicta esse", minime est audiendus. Variis verbis usus est poeta in coitu significando. Illud, quod dicit *ἀνατείνειν τὼ σκέλη*, compluries reperitur repraesentatum in operibus artium veterum. In Eccles. Vs. 265 et in Lysistr. Vs. 229 mulieres, quibus stuprum inferri non fingitur, ut hoc loco Iridi, ad coitum significandum de semet ipsis loquentes commemorant aut *τὸ αἴρειν τὼ σκέλη* et *ἀνατείνειν τὰ Περσικά*. Ineptissimum est, quod sumunt, „oppositionem esse inter *τὴν διάκονον* et *τὴν Ἶριν αὐτήν*, famulam secum habuisse Irin" statuentes. Sine dubio vitium est in verbo *Ἶριν* quod facillime tolli potest sic ut scribatur: *ἶνιν*, quo verbo usus est Euripides in Iphig. Aul. Vs. 119. Verba *ἡ ἶνις* sufficere ad significandam nobilissimam et patri dilectissimam filiam Jovis Minervam, Athenis prae ceteris cultam, pro certo habeo, ita ut opus non videatur *αὐτὴν* mutare in *Ἀθηνᾶν*. — Praeterea etiam verbum *πρώτης* corruptum esse Elmslejus et Blaydesius intellexerunt, qui scribendum proposuerunt: *πρώτιστ'*, quam conjecturam sibi haud satis placere, merito significavit Blaydesius ipse p. 132 his verbis additis: „sed latet, opinor, aliud quid". Equidem non dubito, quin Aristophanes scripserit: *πιστῆς*, in quo verbo magna inest irrisionis vis. Cfr. quod apud Aeschylum in Prometh. Vinct. Vs. 969 Mercurius *πιστὸς ἄγγελος* appellatur.

Vs. 1439 s.

ΠΕΙΘΕΤΑΙΡΟΣ.

οὐκ ἀκήκοας,
ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε
τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί·
δεινῶς γέ μου τὸ μειράκιον Διιτρέφης
λέγων ἀνεπτέρωκεν ὥςθ' ἱππηλατεῖν.
ὁ δέ τις τὸν αὑτοῦ φησιν ἐπὶ τραγῳδίᾳ
ἀνεπτερῶσθαι, καὶ πεποιῆσθαι τὰς φρένας.

In versu 1441 scriptum fuisse censeo: *πρὸς μειρακίων*. *Λέγειν πρός τινος* significat: *dicere pro aliquo*; cfr. Vesp. 647, Sophocl. Oed. R. 1434 et Trachin. 479. Commendatur haec conjectura, ut opinor, etiam eo, quod ea demum satis explicatur, quomodo scriptura, quae in libris traditur, *τοῖς μειρακίοις*, oriri potuerit. Etenim postquam *πρὸς* abiit in *τοῖς*, quod facile fieri potuit, necessarium fuit etiam *μειρακίων* mutare in *μειρακίοις*.

Praeterea nescio an etiam versus 1442 et 1444 mutandi sint. Haud intellegitur, cur in hoc *τὸν αὑτοῦ* (*υἱόν*) scripserit poeta, non *τὸ αὑτοῦ* (*μειράκιον*), quum sine dubio etiam is, qui Graeco vocabulo appellatur *μειράκιον*, sit intellegendus, non juvenis magis adultus. Ergo videndum an corrigen-

dum sit: τό γ' αὐτοῦ. Haec autem verba postulant fere, ut in versu 1442 scribatur: γ' ἐμοῦ, quod mihi quidem vel per se magis placet quam illud, quod vulgo editur. Etiam supra in loco qui est Vs. 139 sq.:

καλῶς γέ μου τὸν υἱὸν ὦ Σαλβωνίδη
εὑρὼν ἀπιόντ' ἀπὸ γυμνασίου λελουμένον
οὐκ ἔκυσας, οὐ προςεῖπας, οὐ προςηγάγου,
οὐκ ὠρχιπέδησας, ὢν ἐμοὶ πατρικὸς φίλος.

magis placere dicat aliquis: γ' ἐμοῦ, quam γέ μου.

Vs. 1715 sq.

ΑΓΓΕΛΟΣ.

ὀσμὴ δ' ἀνωνόμαστος ἐς βάθος κύκλου
χωρεῖ, καλὸν θέαμα· θυμιαμάτων δ'
αὖραι διαψαίρουσι πλεκτάνην καπνοῦ.

Verbum *θέαμα*, quippe quod in Vs. 1716 ferri nequeat, Ottomarus Bachmann in Conjecturarum Observationumque Aristophan. spec. I, p. 31 transponendum censet in hunc modum:

χωρεῖ, διαψαίρουσι δ' αὖραι πλεκτάνην
καπνοῦ, καλὸν θέαμα, θυμιαμάτων cett.

Non audio. Potius *θέαμα* mutandum est in *θύωμα*, quod verbum hoc loco non *suffimentum*, *tus* significat, sed *odores suaves suffimentorum concrematorum*, ut verba *θυόεις*, *θυώδης*, *τεθυωμένος* de solo odore adhiberi solent. Conferatur etiam Suidas, qui ad *θυωμάτων* haec annotavit: *θύματα μύρων, ἀρώματα θυμιαμάτων.*
